



**Quotidiana Christiani Militis Tessera**

**Stanyhurst, Guillaume**

**Coloniæ Agrippinæ, 1682**

15. Dies Augusti. Mariæ magis placet imitator devotus; quām laudator  
otiosus. Ildephonsus serm. 1. de Assumpt. B. V.
- 
- 

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

636      *Christiani Militis*      *Augustus.*  
in seipsis prō dolor ! & propter seiphas amore prole-  
quatur. Hæc quisquis legis, attende, expende, pave,  
& cave. Interim Religio, sive cultus Dei, & æsti-  
matio, inter omnia sint tibi maximo in pretio. Ne-  
mo enim cultum Dei impunis neglexit, imò nec in-  
ter Ethnicos, Deorum. Cujus rei fidem faciet in-  
ter innumera exempla, unum : Cambyses, Cyri fi-  
lius, quinquaginta hominum millia misit ad Jovis  
Ammonis templum diripiendum, & incendio fo-  
dandum : at cùm inter Oaxim, & Ammonios  
pransissent, subitâ ventorū tempestate, arenarum cu-  
mulis obruti sunt; nec ex tanto agmine nuntius reper-  
tus est. Si hæc Dii ! quid Deus ? sentiet pœnas in  
ultimo judicio, quas evaluit in præsenti sæculo. Del-  
lo quid dicam, nisi cum vate :

*Vae misero mundo, veneris cùm Christo secundo.*

### IS. DIES AUGUSTI.

Mariæ magis placet imitator devotus ; quām lauda-  
tor otiosus. *Ildephonsus serm. i. de Assumpt. B.V.*

Mariæ ad. I.      Olemnitas assumptæ in cœlum  
cœlum  
assumptio.      *S*MARIÆ Virginis, est celebritas  
in terris Marianæ Paschatis. Hæc

juxta Tesseram, plus requirit ejus,  
cùm vivendi integritate imitatorem ; quām cùm di-  
cendi facultate laudatorem. Porrò, rerum in hac  
virgine laudabilem, tanta est silva ; ut debeam in  
ubertate modum potius, quām in jejunitate copiam  
aucupari. Habuimus anteà advocatum apud Pa-  
trem, JESUM : nunc habeamus advocatam apud  
Patrem, & Filium, MARIAM. Ut anteà à Patre,  
Filio, sic modò à Filio, Matri data est omnis potestas in

in cœlo, & in terra. Datum est illi, & jus omne dispensandæ gratiæ, & in omnes miseros effundendæ misericordiæ. Itaque dum Virgo ad cœlum assumitur, spem inde sumamus, plus valitaram Christi reverentiam erga suam Matrem; quam nostram irreverentiam erga ipsum. Fatentur ipsi Ethnici, & inter illos, etiam Barbari, reverendos esse à Filiis parentes, ut Deos secundos: & quæ iis debentur, non possunt obsequiis solvi. Cùm igitur doctrina Christi excedat omnem captum Philosophiæ, cùm & ejus exemplum præcesserit humanam omnem opinionem; si Ethnici docuerint honorandos parentes; quomodo honorabit Filius Dei, Matrem suam? Illa fuit Gentilium observantia: qualis erit Christi perfectio? qui leges antiquas antiquando perfecit, dum in amoris lege addidit inimicorum a morem: qui in castitatis præcepto, etiam concupiscentiam vetitam docuit: quomodo ergo in mandato, quo præcipitur filiorum in parentes observantia, excelleat honorando Matrem?

II. Aliis parentibus non est arbitrium, Filium eligere quem velint gignere. Mariæ commissum est arbitrio, gignere, quem volebat Filium: voluit itaque, illum gignere, nec aliutn præter illum. Voluntas enim ejus toti rerum universitati expectatissima expectata fuit à Patre; expetita à Filio; exquisita à Spiritu sancto. A Patre, ut illius esset Filia; à Filio, ut illius esset Mater; à Spiritu sancto, ut illius esset Sponsa. Ideo Christus, quia gemino illi est obnoxius debito: altero Naturæ; altero Voluntatis: rependit debitum voluntatis, nihil negando ejus voluntati. Incomparabiliter maiorem agnoscit;

Chri-

Christus obligationem erga matrem suam ; quam est aliorum Filiorum in Parentes. Imo , quis non stupeat ? Obligatio JESU ad MARIAM : est similis , ut sic loquar , obligationi creaturae ad Creatorem. Ex beneficio Creationis nascitur debitum maximum ; quod Deus non modo nos procreavit , sed simul ; quod nos consilio elegerit ; & nos potius , quam alios infinitos creare decreverit , tot aliis in immensa illa nihili abyso relictis. Quam hinc immanis emicat MARIAE excellentia , cum simili obligatione illi obstrictus sit Deus ; quo creature Deo : quae obligatio est omni ex parte infinita. Et sicut juxta Philosophiae placita , abesse ad non esse , est immensa distantia : ita & immensum est discrimin inter obligationem , quae resultat ex illo beneficio , quo quis accipit esse & naturam , & obligationes ex aliis beneficiis communibus ortas , quae supponunt substantiam.

III. Hinc jam texo hoc argumentum : si Deus in illos , qui infinitis nominibus illi sunt obstricti , est liberalitate suâ effusissimus ; imo , si in illos , qui cum e- normibus flagitiis offenderunt , est benignitate clementissimus : quomodo avarus , aut immisericorditer erga Matrem suam , cui est debitor , & tanta debet ? Quomodo negabit illi aliquod gratiae privilegium , a quo tantum accepit beneficium ? Quid non dabit JESUS per MARIAM , a qua accepit vitam humanam ? Quid pro illa non faciet , ut illi satisficiat , sicut Filii , quibusunque vel beneficiis , vel obsequiis , vel officiis unquam possunt eradere debitum quo sunt parentibus obligati , propter unicum vitae munus , quod est caput omniū munerum : & omnes

actio-

Augustus.

Tessera.

639

actiones , ac dona Filiorum , videntur propria parentum : quia si illis filiis benefaciunt , à parentibus acceperunt, undè possunt benefacere. Sic Filius Dei nihil potest negare Matri: cui debet , quod sit homo. Deinde, cùm det omnia per Matrem , jam eādem operā dat omnia Matri. Atque ita cogit nos illam venerari , & ad eam in quavis necessitate recurrere, ut nobis succurrat , cùm per illam necesse sit cuncta à Filio impetrare. Sicut igitur Christus ab illa accepit esse naturale , hoc est , naturam humanam : sic vult nos ab illa accipere esse supernaturale , hoc est , Gratiam Divinam : qua cùm simus adoptivi filii IESU: sumus & MARIÆ. Quid superest , quām ut nos memores tanti beneficij , non simus immemores tanti debiti : sed si filii simus MARIÆ , faciamus opera MARIÆ : & sic tantis Parentibus pareamus , quod illis erit uberrima seges gaudii : quia

*Gaudet uterque Paren̄s , dum Filius est benē Paren̄s.*

## 16. DIES AVGUSTI.

Qui adoramus unum Patrem ; quare non agnoscimus unam Matrem ? *S. Augustinus serm. de gestis cum Emerito.*

Adoratio. I.

**U**T agnoscant omnes unam Matrem in terris : sicut adorant unum Patrem in cœlis ; res est magis voti , quām spei. Nos hīc de adorando uno Patre , compendio differemus. Inter actus Religionis, primus , est Adoratio , quā homo supremam Dei Majestatem omni demissione veneratur ; qui vocatur *latrīa* , & convenit

soli